

naturale, et sic non potest præsупponi; debet ergo ex vi prædestinationis poni: ergo prædestinatio terminatur, et ad ponendum Christum, et ad ordinandum illum, et ad filiationem, et ad gratiam, et gloriam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Contra primam conclusionem potest primo objici ex auctoritate Concilii Toletani XI, in præfatione fidei, ubi dicitur: «Hic autem (loquitur de Christo), per hoc quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantum, nam neque factus, neque prædestinatus accipitur.» In illis verbis de Deo Patre sine initio prodiit, et ly natus clare ponitur ratione Filii in divina natura, et de illo negatur, quod sit prædestinatus. Tum S. Thomas in III, dist. VII, quæst. III, artic. II, quæstiuncula III, in corpore, et ibidem ad Annibaldum, artic. IV ad quintum inquit: «Dicens quod hæc est falsa: Filius Dei est prædestinatus;» ergo conclusio neque in Concilio, neque in S. Thoma admittitur.

XVIII. Respondetur, quod Concilium statim post verba objectionis subdit: «Per hoc quod de Maria Virgine natus est, et prædestinatus esse credendus est.» Ita ibi. Et similiter S. Thomas in utroque loco subdit post verba allata in objectione: «Cum non ponatur aliquid respectu ejus possit antecessio denotari, sed hæc: Filius Dei est prædestinatus in quantum homo est vera, quia potest importari antecessio respectu hominis quantum ad naturam.» Hæc S. Thomas, ubi constat, quod sine addito falsum est, quod Filius Dei sit prædestinatus, cum addito tamen esse homo, est vera, et hoc denotat Concilium: «Per hoc, quod, inquit, de Maria Virgine natus est.» Et S. Thomas: In

quantum homo, et reddit rationem differentiae, quia sine addito nulla est antecessio, et sic non potest verificari, quod sit prædestinatus Filius in divina natura, bene tamen esse hominem, quia est antecessio ad naturam humanam.

XIX. Si dicatur, quod S. Thomas concedit istam: Filius Dei est prædestinatus in quantum homo, et hoc non est idem ac dicere esse homo, respondetur, quod etiam S. Thomas concedit istam: Esse homo, locis allatis in conclusione, et ista: In quantum homo, potest habere istum sensum: Prædestinatur in quantum homo esse, et tunc quidem est idem ac dicere esse homo, et in hoc adducitur a nobis, et posset intelligi alio modo, scilicet, prædestinatus in quantum homo ad filiationem, vel ad gratiam.

XX. Secundo, objicitur ratio contra eandem conclusionem: Prædestinatio est transmissio prædestinati ad terminum prædestinationis; ergo prædestinatio Filii Dei ut homo, erit transmissio ejus. Antecedens est definitio prædestinationis quam tradit S. Thomas I part. quæstione XXIII, artic. I, in corpore, ubi inquit: «Ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, prædestinatio nominatur, nam destinare est mittere.» Ita ibi. Sed Filius a solo Patre mittitur, quia ut habet idem S. Thomas I p. quæst. XLIII, art. I: «Quod missio divinæ Personæ convenire potest secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente, sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod incipit in mundo esse per carnem assumptam.» Ita ibi. Propter quod in eadem quæstione, artic. VIII, in corpore inquit: «Non quælibet Persona mittit, sed solum illa cui convenit esse principium illius Personæ (scilicet missæ) et sic Filius mittitur

tantum a Patre, Spiritus sanctus autem a Patre, et Filio:» ergo Filius solum est prædestinatus a Patre. Patet consequentia: Prædestinatio est missio; solum mittit Pater Filium; ergo solus Pater prædestinat illum. Sed hæc non est prædestinatio propria de quo loquimur, quia prædestinatio est actio absoluta communis toti Trinitati; ergo hæc prædestinatio Filii non est propria.

XXI. Respondetur, quod S. Thomas in eodem articulo octavo immediate post verba allata in objectione subdit: «Si vero Persona mittens intelligatur esse principium effectus secundum quem ostenditur missio, sic tota Trinitas mittit Personam missam.» Ita ibi. Et in illo corpore retulerat S. Thomas duas opiniones. Prima, quod Persona non mittitur nisi ab eo, a quo æternaliter procedit: secunda quæ est S. Augustini asserentis, quod licet mitti non conveniat nisi Personæ procedenti ab alia, mittere tamen convenit cuilibet Personæ, et inquit S. Thomas: «Quod utrumque habet aliquo modo veritatem,» et componit utramque opinionem distinguendo in missione, et id quod includit ex parte originis, et id quod includit ex parte termini, et quantum ad originem inquit: «Quod Filius non mittitur nisi a Patre:» Quantum vero ad terminum, inquit: «Quod mittitur a tota Trinitate, quia tota Trinitas est principium illius termini, vel effectus.»

XXII. Quod latius explicuerat primo distinctione XV, quæst. III, art. II, ubi in principio corporis ponit triplicem missionem Filii: «Unam, qua missus est in carnem, aliam qua mittitur in mentem, tertiam qua mittitur ad prædicandum:» et in fine corporis includit: «Sed quia ut dictum est, non requiritur de necessitate, quod in mittente sit auctoritas respectu missi, sed tantum

efficientia respectu ejus secundum quod missus dicitur mitti, ideo concedimus quod Spiritus sanctus, et tota Trinitas mittit Filium secundum quamlibet missionem, et præcipue cum Augustinus expresse dicat eum missum a Spiritu sancto, loquens de missione in carne secundo de Trinitate, mitti inquit a Patre sine Spiritu sancto non potuit, quia Pater intelligitur eum misisse, cum fecit eum ex femina, quod utique non fecit sine Spiritu sancto.» In his ergo verbis clare solvit S. Thomas argumentum propositum, negando quod Filius mittatur a solo Patre in carnem, quod idem est, ac esse hominem, et hoc cum Augustino asserendo verba ejusdem Augustini.

XXIII. Nec potest dici, quod loquatur de missione impropria, quia in articulo primo immediate præcedenti disputans de missione Spiritus sancti, in medio corporis refert opinionem aliquorum dicentium, quod ista est falsa: Spiritus sanctus mittit se, et impugnant magistrum sententiarum oppositum asserentem, et reddunt rationem: «Quia missio includit in se notionem, et ideo non oportet quod in potentia, vel operatione missione tres Personæ conveniant, sicut neque in generatione, vel potentia generandi, et dicunt etiam non esse simile de missione in carne, secundum quam Filius seipsum mittere dicitur, quia in illa missione natura creata assumitur in unitatem divinæ Personæ, quod non contingit in aliis missionibus.» Hæc refert S. Thomas, ubi expendendum est, quod quamvis negassent illi de missione visibili Spiritus sancti, quod esset a tota Trinitate, hoc concedunt de missione Filii in carnem: unde apparet, quod minor difficultas est de hac missione, de qua loquimur.

XXIV. Et statim S. Thomas resolvit: « Sed quia sancti communiter talibus locutionibus utuntur, præcipue Augustinus, et magister hoc concedunt. » Et paucis interpositis refert opinionem Præpositivi, et Altissiodorensis, quod proprie non mittit se Spiritus, et Filius, sed improprie, et alios dicentes quod proprie, addit: « Et ut huic consentiendum videtur, si virtus nominis attendatur. Dico igitur, quia ponit missum esse in aliquo, eo modo quo prius non erat, et sic fieri in illo, secundum illum modum importat quamdam factionem, non dico realem, sed rationis tantum, quæ terminatur ad relationem rationis, et non rei, sicut dicitur Deus factus refugium: sensus ergo est: Spiritus sanctus est missus, id est, factus est ens ab alio existens in creatura. Unde oportet ad hoc ut dicatur missus, quod et sit ab alio, et fiat in aliquo secundum novam habitudinem, propter quod Pater non potest dici mitti, quia non est ab alio, et cuiusque Personæ convenit facere, quod sit in aliquo secundum novam habitudinem, dicitur mittere Spiritum sanctum, quamvis non sit principium Spiritus sancti, et quia tota Trinitas facit Spiritum sanctum esse in aliquo secundum novam habitudinem, ideo Trinitas dicitur mittere Spiritum sanctum, et ipse seipsum mittit, et ipse a se mittitur. » Hæc omnia sunt verba S. Thomæ, quæ consulto allata sunt, quia ex ipsis solvuntur omnes difficultates, quæ ex hoc argumento oriri possunt.

XXV. Tum, quia missio Personæ divinæ proprie loquendo est a tota Trinitate; tum, quia missio ex parte principii continet originem a quo procedit, et ex parte termini novum modum essendi in creatura, et ex utroque componitur proprie missio, propter quod non convenit Patri

æterno mitti, neque a se, neque a tota Trinitate; bene tamen Filio, et Spiritui sancto (quæ erat replica, quæ statim se offerebat, quod posset mitti Pater) tum, quia ratio missionis est quasi ratio factionis, ut sit Persona missa in aliqua creatura secundum novum modum, quo antea non erat, et quia hoc facit tota Trinitas, tota Trinitas proprie mittit. Et ex his constat solutio argumenti ex ipsa majori assumpta, quod quia prædestinatio est missio, ideo neganda est minor, quod Filius non mittatur a tota Trinitate, ut homo, et consequenter a tota Trinitate prædestinatur. Videatur S. Thomas loco citato, ubi latius allatam doctrinam tradit.

XXVI. Tertio arguitur: Non omnes conditiones prædestinationis propriæ conveniunt Filio Dei; ergo falsa est hæc propositio: Filius Dei est prædestinatus esse homo. Probatur antecedens: Quinque conditiones ex his, quæ solent assignari prædestinationis propriæ sunt. Prima, quod sit posterioritas in eo, qui prædestinatur respectu prædestinationis: secunda, quod reperitur inferioritas eodem modo: tertia, quod illi fiat gratia: quarta, quod prædestinetur ad finem aliquem: quinta, quod non sit de supposito comparative ad naturam: sed omnes istæ conditiones non verificantur; ergo probatur minor quoad primam, quia Filius Dei est æternus, et sic non potest dicere posterioritatem respectu prædestinationis etiam æternæ, neque prædestinatio antecessionem ad illum.

XXVII. Quoad secundam probatur, quia prædestinatio dicit inferioritatem in prædestinato, sicut missio, et Filius Dei nullam dicit inferioritatem respectu alicujus. Quoad tertiam probatur, quia Filio Dei nulla gratia facta fuit in incarna-

tione. Quoad quartam probatur, quia esse hominem neque aliquid aliud potest habere rationem finis respectu Filii Dei, et per consequens nec Filius Dei potest esse prædestinatus, quia prædestinatio est transmissio, vel ordinatio alicujus ad aliquem finem. Quoad quintam probatur, quia Filius Dei est suppositum naturæ humanæ, sicut in aliis suppositum creatum, sed Petrus, verbi gratia, non potest prædestinari ad esse hominem; ergo neque Christus etiam ut suppositum naturæ humanæ.

XXVIII. Respondetur ad primam conditionem ex S. Thoma in III, distinct. VII, quæst. III, art. II, quæstiuncula prima, ubi ponit hoc argumentum, et respondet sic: « Ad primum dicendum, quod prædestinatio non importat antecessionem ad prædestinatum simpliciter, sed comparatione ad illud, quod sibi prædestinare dicitur, quamvis autem Filius Dei sit ab æterno, non tamen ab æterno fuit homo. » In quibus verbis ait sanctus doctor, quod prædestinatio non importat antecessionem in Filio Dei, sed in esse hominis, quod illi prædestinatur, hoc est, quod illi convenit ex vi prædestinationis: et hoc sufficit ad salvandam hanc conditionem. Idem habet ibidem articulo primo ad tertium, et ad Annibaldum, quæstione unica, art. IV ad primum et secundum.

XXIX. Contra S. Thomas in eodem articulo, quæstiuncula tertia ad primum, inquit: « Missio non importat temporalitatem in eo, qui mitti dicitur, sed in eo in quo per novum effectum inhabitat, et ideo mitti dicitur Persona divina; sed prædestinatus ponit posterioritatem respectu prædestinationis in eo, qui prædestinatur, et ideo non est similis ratio. » Ecce quomodo S. Thomas ponit hanc propositionem: Prædestinatus ponit posterioritatem in eo

qui prædestinatur; ergo si Filius dicitur prædestinari, in Filio ponit posterioritatem; ergo falso dicitur quod non ponit posterioritatem in Filio, sed in esse hominis, et si S. Thomas oppositum dixerit, erit sibi contrarius in eodem articulo.

XXX. Secundo, quia S. Thomas ibi contraponit prædestinationem cum missione, et dicit, quod missio non ponit temporalitatem in eo, qui mitti dicitur, sed in eo ad quem mitti dicitur, et quod prædestinatio ponit posterioritatem in eo, qui prædestinatur, propter quod Persona divina potest mitti, non tamen prædestinari. Si autem intelligeretur, quod prædestinatio solum ponit posterioritatem in esse hominis, et non in Filio, esset solum ponere posterioritatem in termino, qui est esse homo, et cum missio etiam ponat posterioritatem, sive temporalitatem in termino, ut S. Thomas docet, male poneret differentiam inter missionem, et prædestinationem quantum ad hoc. Denique male allata est paritas missionis, et prædestinationis in solutione præcedentis argumenti, si quidem S. Thomas hic non solum parificat, sed contraponit illas.

XXXI. Respondetur, quod si illa propositio: Prædestinatus ponit posterioritatem in eo, qui prædestinatur respectu prædestinationis, est universaliter vera, quia ut habet S. Thomas I part. quæst. XXIII, articulo II, quamvis prædestinatio sit actus immanens, et ideo non ponatur in prædestinato, sed in prædestinante, tamen ibi ad quartum explicat, quod prædestinatio est causa respectu ejus, quod prædestinatur, et sic necessarium est, quod ponat posterioritatem in illo, et illa præcedat. Et hoc clare docuit S. Thomas etiam hic articulo secundo in corpore dicendo, quod: « Prædes-

tinatio importat antecessorem quamdam respectu ejus, quod sub prædestinatione cadit. » In quibus verbis attendendum est ad terminum, qui ponitur prædestinatus, qui est terminus qui prædestinationis, ut articulo tertio explicabitur, et si est habens aliquid esse, non est qui prædestinatur, quia nemo prædestinatur ad id quod est, sed potest esse subjectum respectu alterius esse, quod ex vi prædestinationis illi conveniat, ut si dicamus: Petrus prædestinatur ad gloriam, esse substantiale Petri supponitur ad prædestinationem, et hoc non est, quod prædestinatur, hoc est, quod habet esse per prædestinationem, et ideo non dicitur terminus qui, sed subjectum prædestinationis; sed esse gloriosum est quod cadit sub prædestinatione. Si autem dicatur solum: Petrus prædestinatur, ut verificetur debet ex vi prædestinationis recipere esse Petrum, sic dicit S. Thomas quod hæc est falsa: Filius Dei est prædestinatus absolute, et sine addito in illa quæstione quarta in corpore, quia denotatur posterioritas in esse Filii, quod est falsum. Si vero ponatur homo, est vera, quia verificatur posterioritas in esse hominis, et sic in utroque loco idem dicit: missio vero non causat id quod mittitur, sed supponit.

XXXII. Per quod patet ad primam instantiam argumenti, quod Filius absolute nunquam dicitur prædestinatus sine addito, sed ut homo, et posterioritas ponitur in esse hominis illi conveniens.

XXXIII. Ad secundam patet etiam, quia missio in eo, qui mittitur, nihil causat, nec esse missum est esse causatum, sicut esse prædestinatum, nec terminum ad quem missio causat, sed supponit: prædestinatio vero causat terminum ad quem, et applicando illum subjecto

facit terminum qui, et sic facit posterioritatem in illo.

XXXIV. Ad tertiam patet, quia in solutione argumenti præcedentis ponitur paritas in missione, et prædestinatione respectu principii, quod utraque est a tota Trinitate, hic ponitur disparitas ex parte effectus qui prædestinatur, et mittitur, quia in missione præsupponitur, et in prædestinatione subsequitur.

XXXV. Ad secundam conditionem respondetur, sicut ad præcedentem: sicut enim prædestinatio petit posterioritatem in eo, qui prædestinatur, sed non simpliciter, sed quantum ad aliquid, et cum hoc verificetur in hoc complexo: Filius Dei esse homo, non ratione Filii Dei secundum se, sed ratione ejus, quod est esse homo, ideo Filius Dei absolute non dicitur prædestinatus, sed cum addito esse homo, ita quod esse homo, etiam sit quid prædestinatum tamquam subjectum prædestinationis; et quantum ad hoc prædestinatio habet paritatem cum missione, quæ est per imperium, vel consilium, quia hæc superioritatem habet in mittente, vel ut imperans, vel ut sapientior, non tamen habet paritatem cum missione solum secundum originem, sed quantum ad hoc; non vero quantum ad dicta in solutione præcedentis argumenti. Quæ doctrina est S. Thomæ ibidem allata.

XXXVI. Ad tertiam conditionem de gratia, et supernaturalitate respondetur, quod quantum ad rationem gratiæ sæpius posuit S. Thomas hoc argumentum, tam hic, quam in utroque tertio sententiarum, et semper solvit eadem doctrina quoad substantiam, et sic sufficet adducere unum locum, qui est in III, distinct. VII, quæst. III, art. II, quæstione prima ad tertium, ubi inquit: « Dicendum, quod quamvis non sit gratia Filio Dei quod sit homo, ta-

men hoc habet per gratiam unionis, per quam humana natura assumpta est in unitatem Personæ divinæ. » Cum igitur completus terminus sit, quod Filius Dei sit homo, sufficit ratione illius inferioritas, et posterioritas. Et de supernaturalitate satis constat, quod ipsa unio hypostatica est supernaturalis, et in altiori gradu, quam communis gratia.

XXXVII. Ad quartam conditionem de fine, respondetur cum S. Thoma in III, distinct. X, quæstione III, quæstiuncula prima ad primum, ubi inquit: « Dicendum, quod prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad unionem. » Et distinct. VII, quæst. V, art. II, quæstiuncula prima in corpore, loquendo de prædestinatione Christi dicit: « Quod importat ordinem ad finem, et quando simpliciter ponitur, intelligitur ad finem ultimum, qui est per gratiam, vel gloriam in persona. » Ecce ponit prædestinationem ad unionem tamquam ad finem, sed non respectu Personæ, cui fit unio, sed respectu vel humanitatis, vel subjecti, quod est homo, qui dicitur prædestinatus, et in hoc sensu, non Filius, sed Christus potest dici prædestinatus ad filiationem, tamquam ad finem, sicut venisse redemptorem propter nostram salutem.

XXXVIII. Ad quintam de supposito, respondetur duplici solutione utraque S. Thomæ in III, distinct. VII, quæst. III, art. II, quæstiuncula prima ad secundum, ubi inquit: « Dicendum, quod suppositum Petri non fuit antequam esse Petrus homo, et ideo potest dici, quod sit prædestinatus esse homo, sed suppositum Filii Dei fuit antequam ipse esset homo, et non est similis ratio: » et iterum: « Petrus nullo

modo habet esse homo per gratiam; Filius autem Dei habet esse homo per gratiam unionis, non quidem sibi factam, sed humanæ naturæ. » Hæc S. Thomas, et quia utraque solutio clara est, non indiget explanatione, nec ponderatione aliqua.

XXXIX. Quarto arguitur contra secundam conclusionem ex S. Thoma in III, distinct. X, quæst. III, quæstiuncula prima, in principio corporis, ubi ait: « Prædestinatio accipitur communiter, et proprie; communiter pro præscientia, et præordinatione cujuscumque, et sic patet, quod prædestinatio potest esse de natura. » Et hic articulo primo ad secundum, impugnat opinionem dicentium prædestinationem intelligendam esse de natura duplici ratione. Prima, quia prædestinatio est suppositi, cujus est agere propter beatitudinis finem: secunda, quia non convenit humanæ naturæ esse Filium Dei. Et inquit: « Quod est locutio impropria, et extorta expositio Apostoli; » ergo secundum S. Thomam conclusio non debet admitti de propria prædestinatione.

XL. Respondetur, quod S. Thomas in loco sententiarum dicit, quod est prædestinatio propria, quæ est ad unionem in persona, quæ convenit naturæ, ut dictum est in conclusione, et sic quando dicit, quod prædestinatio impropria potest esse de natura, loquitur respectu prædestinationis suppositi comparative ad eundem finem, vel filiationis, vel beatitudinis, ad quem humanum suppositum proprie prædestinatur, et natura improprie, sicut improprie est filia, et improprie dicitur operans ut quod.

XLI. Ad secundum locum respondetur, quod S. Thomas impugnavit opinionem illorum, qui dicebant, quod natura prædestinata erat ad filiationem, et sic inquit, quod